



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

XVI. De notariis publicis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

XV.

Firmiter inhibemus, ne presbyteri peregrini vel ignoti ad Missarum solennia celebranda in publico admittantur, nisi per literas testimoniales, vel canonice de ipsorum ordinatione ecclesiarum praelatis & rectoribus fiat fides.

XVI.

Placuit nostro sancto Concilio, vt nullus se notarium publicum asserens, in officio tabellionatus aliquatenus admittatur, nec credatur eius instrumento, nisi coram loci ordinario vel eius officiali de suo officio faciat plenam fidem, cum saepe ex notariis incognitis & imperitis grandia pericula soleant prouenire.

XVII.

Dudum fuit in nostra prouincia constitutum, vt episcopi suffraganei omnes prouinciales constitutiones habeant sigillatim, easque suis subditis, sicut iuris est, studeant publicare. Verum, quia huiusmodi statutum fructum modicum hucusque produxit: Nos igitur illud ampliare, & poenae adiectione vallare volentes, ne ipsarum ignorantiam ipsi vel subditi praetendere valeant, vel quoslibet allegare, statuimus, & districte praecipiendo mandamus, quatenus omnes & singuli ecclesiarum praelati, archidiaconi ac parochi, ecclesiarum rectores, tam legatorum sedis apostolicae, quam nostras & praedecessorum nostrorum constitutiones scriptas habeant, quas non habentibus de nostra cancellaria praecipimus exhiberi, sub petentium tamen sumptibus & expensis. Quod si